

PROPOSITIONES

ad

Serenissimam - ac Potentissimam Polonorum Rem-publicam

Serenissimi Electoris Palatini,

utriusq;* Bavariæ - Juliæ - Cliviæ - & Montium

DUCIS

pro

Serenissimo PRINCIPE

CAROLO,

Duce Neuburgico, Fratre suo Germano.

Eminentiſſime! Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, Excellentiſſimi, Illuſtres, Magnifici- ac Generoſi D. D. Sereniſſimæ Reipublicæ Inclyti Regni Poloniæ- & M. D. L. Status- ac Ordines, Domini- ac Amici Colendiſſimi!

INter ſupremas Europæ Familias ſingulari hac prærogativâ, nullo ſatis pretiô æſtimandâ, Sereniſſimam Domum Electoralem Palatinam beavére propitia Numina ut, Jagellonicum Sangvinem ex Caſimirô IV. Venis derivatum, calentem etiam nunc, tanquàm Sacrum Veſtaliũ Ignem, vegetum, purumq; feliciſſimè foveat; imò conſpirantibus, velut ex condictô, Conjugijs, per plures quaſi Canales, in unum ejusdem Domûs Alveum Divinô prorsùs Ordine deducta, Jagellonidum Proſapia combinetur. Hinc ingenitus ille- atq; reciprocus inter Sereniſſimam Rem-

Rempublicam, ac Palatinam Familiam Amor ad Posteros cum Sanguine diffusus - & propagatus. Hinc Studium illud, & observantia singularis, qua præ cœteris Principibus Serenissimus Elector Invictissimam Polonorum Gentem sincerè colit - ac veneratur. Hinc demùm justa illa fiducia, qua meritò confidit, sibi vitio minimè vertendum) præsertim si imperscrutabilis Providentiæ Decretum, & Statûs Reipubl: Ratio ferret Serenissimum Principem Jacobum votis suis non poteri) quatenùs Amantissimum Fratrem Germanum, Serenissimum Principem Carolum, nuper Radżivilliæ Principis viduum, Viduæ Reipub: reverenter proponat - ac impensè cōmendet, quem sua Serenitas Electoralis sperat nulli Candidatorum postponendum, sed à publica Magnanimitate Fortunâ hac aureâ longè optabiliori, quàm Domestica illa Cæsarum Romanorum, generosè donandum fore.

Et verò citra jactantiæ umbram - ac omnem Invidiæ Labem, asseri potest, non indignum esse tantò Diademate Caput, tantâq; Poloniæ Nobilitate Principem, quem scil: plures Gentilitij Cæsares - & Electores, Bellô - Paceq; Clarissimi, ad Magna - & Heroica erudierunt. Quem Divus Parens Annæ, Catharinæ, Constantiæ, Vladislai - ac Joannis Casimiri Regum Sororis, olim Conjux, ad Religiosissimæ - Exemplarissimæq; Pietatis Normam instituit, Eidemq; tenerrimum illum amorem, quo Polonos complectebatur, medullitùs indidit perpetuus Reipublicæ Cultor - & constantissimus contra Hostes omnes Colligatus, se ipso - viribusq; hæreditarijs omnibus

mnibus occasione bellorum peramanter oblatis.

Illâ est ætate, qua - floret - & viget adulta virtus, matura fructibus. Eô corporis habitu - atq; Robore, quòd Martijs - atq; Civilibus par sit laboribus. Eâ facie- atq; staturâ, quæ sit Imperiô digna, & quam ornet Imperatoria species. Non severo - sed amabili supercilio. Non durâ - sed docili-& prorsùs flexili ad Leges Patrias indole. Nec in ipso trucis obtutûs, sed Authoritatem solô Amore conciliat - ac Reverentiam Authoritate. Affabilis - Liberalis - atq; oculatè profusus: nil suum arbitratur, nisi quod alteri dederit. Misericors æq; - ac justus. Bellô natus, ac Bellis innutritus: reptavit per Scuta Puer, Nobileq; Tyrocinium, ùt Principes decet, & haustum à Majoribus Sangvinem in Hungaricis - & Germanicis Expeditionibus cum Laude posuit. Jam verò immolatâ Marti Fratris Victimâ, Serenissimi Electoris, hactenus improlis, Authoritate tantisper est Bellonæ subductus, ut Stirpi servaretur Augustæ, ac redderet Electorali Palatinatui - Provincijsq; avitis Hæredes, non nisi ductâ eâ Sponsâ, quam Pronuba voluerit Res - pub: ut illi nascantur Filij ad obsequia, illi vivant, & serviant, ac, si Res tulerit, pro illâ occumbant: quotquot vero, DEO Auspice, suscipientur, nulli sint Serenissimæ Rei-pub: oneri; sed hæreditariô Censu alantur - & sustententur. Illud porrò imprimìs notandum, remota prorsùs Fraterna Dominia - illaq; sat opulenta efficere, ut Præesse utiliter - non obesse possit, Statûsq; hæreditarij Rationes nulli Principum,

tum Poloniæ vicinorum, tum maximè distantium, odiosas esse; atq; adeò Paci- & Concordiæ, cum illis servandæ, aptissimas. Nulli deniq; Principi ita obnoxios esse Palatinos Electores, ut vel Vmbram Zelotypiæ Polonis unquàm possent affundere.

Quod innuisse sat fuerit adversus varios nonnullorum Motus, qui suspectum Poloniæ fore Principem Germanum arbitrantur, contra tot sæculornm Experientiam, in tantâ limitanearum Provinciarum semper pacificâ Propinquitate. Et licèt à nullo Principum, sicut innui, ita dependeat Serenissimus Elector, ejusq; Germanus Carolus Princeps, ut minima oriri possit Polonis suspicio, non adeò tamen Amicorum caret subsidiô, ut abundanter- ac promptè non suppleat implendis illicò Conditionibus, quas pro Serenissimô Carolô Candidatô proponit: quæ sunt

I. Leges omnes- ac Libertatem Polonicam illibatè servaturum Serenissimum Carolum, vel ipsius Sangvinis plenissimâ Effusione, Pactaq;- Conventa omnia inviolatè impleturum.

II. Nullo unquàm Pretiô, etiam vel minimô, aut Munere, gratitudinis ergo oblato, Dignitates, Officia, & Munia Regni qualiacunq; collaturum: sed solis Benè-meritis, semotô quocunq; privatô Respectu, distributurum.

III. Milliones Decem, ad persolvenda Exercitibus

bus ſtipendia juxta Reipub: Diſpoſitionem, in Pecuniâ numeratâ illicò poſt Electionem ſuppeditaturum.

IV. Pro Alleviatione Stativornm Hybernalium in Bonis Regalibus- & Spiritualibus Annô præſenti offert unum Millionem, Die Feſtô S. Michaëlis per ſuos Miniſtros Leopoli perſolvendum.

V. Alium Millionem adpromittit, Leopoli exſolvendum pro ſufficienti Militum Conſiſtentiâ extra Limites Regni, atq; ad Rem tormentariam, & Comeatum.

VI. Pro Conſervatione Præſidiorum, ubicunq; ſub Inclytô Nomine Polonô ſunt Præſidia, trecenta Millia Florenorum pro hôc Annô ſe largiturū adpromittit.

VII. Monetā ad Coœquationem cum vicinis Principibus reducere conabitur, junctis cum Re-pub: Conſilijs- & Subſidijs; & ad hunc Effectum centum Millia Thalerorum ſe daturum adpollicetur; ſimulq; Reſtaurationem Commerciorum ſummè Cordi habebit.

VIII. Cameneci Recuperationem vel in Tractatu Generali- vel Glorioſô Marte- imò etiam Beſſarabiæ Aquiſitionem omni Nitu curabit.

Quæ omnia Sereniſſimus Elector, in Pignus æterni Amoris- & Obſeqnij oblata, gratè acceptanda fore ab Invictiſſimâ Re-pub: meritò confidit, & inde non

minùs

minùs ſperat, eandem tam in Perſonâ prædicti Sereniſſimi Candidati ex antiquiſſimâ - Regiâq; Sangvinis Progenie, Virtutum Vbertate - & Animi - Corporiſq; Conſtitutione omnimodam Regnandi Capacitatem, quam modò oblata non vanis Promiſſis - ſed Germanæ ſinceritatis Realitate ſuffultâ Promptitudine tale invenire Pondus, ut præ omnibus alijs in Sereniſſimi Principis Caroli Promotionem ad hoc Regale Solium liberrimis ſuffragijs, quibus ſolis ſortem ipſius committit, unanimiter deſcendat, ſub cujus Auſpicijs haud dubiè Pax - & Concordia Civium refloreſcet; teterrimi Hoſtes orthodoxæ hujus - ac Religioſiſſimæ Gentis profligabuntur; Limites Regni avulſarum tot Provinciarum Receptione extendentur; Potentiſſimæq; hujus Gentis Magnanimitas ad ſummum Gloriæ Apicem exſurget.

